



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofurti, 1684**

S. Ioannes Baptista, Virginis ex Consobrina Nepos. Præconium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

Neminem relictura miserum, nisi qui esse velit.  
 Dubitas? Statuam do testem.  
 Ante hanc nemo vacuus rogavit:  
 Ne Turea quidem.

SANCTUS  
**JOANNES BAPTISTA**  
 VIRGINIS EX CONSOBRINA NEPOS,

PRAECONIUM.

Jam Numen aderit.  
 Adeat jam Numinis Praeco,  
*Hoc Pracone,*  
*Nemo major, nemo minor.*  
 Prophetarum postremus, Martyrum primus,  
 Solis Lucifer, Luciferi Vesper,  
 Messiae magnitudinem ex sua imagine expressit.  
 Immò Messiae Mystes, & Christi Christus,  
 Mundi lustratorem lustrali aquā sancivit.  
 Ambigente Jordane, lavaret, an lavaretur,  
 Nobilis fluvius, cœlesti Eridano minime invidus.  
 Nam ille in Cœlum translatus, huic Cœlum delatum;  
*Hem quantus: at quantulus fuit?*  
 Tantam sanctitatem ad nihilum rededit,  
*Cum se Neminem dixit,*  
 Tantoque se diminuens quanto cœlitus auctior  
*Cum Omnipotentia certavit.*  
 Hie ne vinceretur, augentem vicit, se minuendo;  
 Illa ut vinceret, imminutum fecit augendo.  
*Adde, hoc Pracone*  
*Nemo taciturnior, nemo vocalior.*  
 Vix conceptus, silentium Patri indixit,  
 Vix formatus, Deum hospitem nutibus exceptit,  
 Vix utero egressus, solitudinem ingressus,  
*Hirtus, jejunus, vigil,*  
 Cum Angelis Angeli, Mutus cum Mutis vivens,  
*Quod*

Quod loqueretur, tacendo didicit.  
 Nemo diutius infans fuit; nemo altius faciūs;  
 In deserto disertus,  
 Et jam nihil nisi vox,  
 Rudes instruxit, avios reduxit,  
 Peccantes increpuit; Reges interrūit,  
 Trunco etiam capite clamōsus,  
 Vivum se Morti approbavit;  
 Et ad Mortuos vitæ Præco descendit,  
 At at, procubito Viator;  
 Præco siluit, Messias adest.

## JESUS CHRISTUS DEI, AC VIRGINIS FILIUS.

### M E T A .

Sistimur ô tandem tibi Clementissime Assertor.  
 Sacri Voluminis Alpha & Omega:  
 Non longius vagaturi, te contacto.  
 Quò enim procedat qui te accedit, ultimam rerum Metam?  
*Tu aviti Generis Meta:*  
 Matris annos in Proavis numeraturus,  
 Trium & sexaginta Patriarcharum Stemma claudis,  
 Omnium nobilissimum, quia notissimum.  
 Nam Patrii Stipites reliqui,  
 Quā commendantur vetustate cariosi,  
 Simul eduntur, & exeduntur.  
 Tu antiquorum antiquissimus, novissimorum novissimus,  
 Majoribus major, posterior posteris;  
 Sevisti nobilitatem tuam, & messti.  
 Verè tuam, quia à te fluxit, in te rediit.  
*Tu divisorum Operum Meta:*  
 Cœlesti satu mortalia cœlesticus noctens,  
 Ex Deo Homo, ex Virguncula Deus,  
 Quod unum de erat universitati miraculum, explevisti.  
*Tu temporum Meta:*  
 Summo Solsticio, nocte mediâ, anno extremo natus;

Solis